


Questo libro composto di libretti trentanove ha un gran valore. Il suo piu gran pregio consiste nella lettera di Cristoforo Colombo in lingua Spagnola.







IN REV. ADMODVM D. Marcellum Tolosam CONGREG. CLERICORVM REGVLARIVM THEOLOGVM,

& Concionatorem præstantissimum

Diuersorum scriptorum Veronensium Elogia.

Ad Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Augustinum Valerium S.R.E. Card. Ampliss. & Veronæ Episcopum.



VERONAE, M D X C I.

Apud Hierony. Discipulum impress. Episcopalem.

Cum licentia Superiorum.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. D. AVGVST. VALERIVM S. R. E. CARD. AMPLISSIMVM ET VERONAE EPISCOPVM

Patronum ſuum Colendiſſimum.



VM Marcelli Toloſæ ſummi Diuini verbi interpretis, & oratoris præſtantiſſimi aſſiduis concionibus vniuerſa hæc Ciuitas his ærumnoſis temporibus ad pietatis cultum, & cæleſtium diuitiarum amorem mirificè fuiſſet inflammata, viſum eſt nonnullis eruditis viris, qui non mediocrem pariter fructum ex eiuſdem religioſiſſimi Viri opera perceperant, poematia aliqua in eius laudem conſcribere, quibus admirationem maximam ex tanti Euangelici Præconis præſtantia pridem animo conceptam, cum ſingulari in eundem beneuolentia, & propenſione iunctam veluti effunderent, atque omnibus teſtatam facerent. Hæc ipſe, Cardinalis Illuſtriſſime, & Patrone Colendiſſime, tùm ne temporis interuallo diſperirent, tùm maximè vt longè gratiora, & venuſtiora in lucem prodirent, in vnum velluti diſſipata colligere, typis mandare, atque tuo nomini ampliſſimo nuncupare conſtitui: æquum enim eſſe videbatur, vt

tibi, secundum Deum, omnium nostrorum bonorum auctori nostra hæc, quibus nos aßiduè cumulas, emolumenta, accepta referrentur, teque vt perpetua gratiarum actione, pro immortalibus tuis in hanc Ecclesiam beneficijs, omnes omnium ordinum homines prosequantur. Superioribus quidem diebus Reuerendißimum D. Albertum Valerium Episcopum Famagustanum Nepotem, & coadiutorem tuum virum pietate, doctrina, vitæ integritate omnium prædicatione maximè conspicuũ ab ijsdem ferè doctis viris laudatum, & celebratum eße gaudebam: quocirca & tunc temporis carminum imprimendorum, & dedicandorum prouinciam suscepi. Quæ sanè officia à te maximè probatum iri spero, Cardinalis præstantißime, cum grati animi significatio pro viribus magnis, & præclaris viris exhibita apud omnes laudabilis semper extiterit. Nam quod ad Patrem Marcellum Tolosam spectat, ita concordi omnium voce, & consensu, nos omnes sua oratione, diuini spiritus afflatu concita, nuper affecit, vt, non tamquam Roma à te trasmissum, sed veluti cœlitùs demandatum omnes suspiciant atq; admirentur: Pro quo singulari beneficio nemo est, qui tibi intimo cordis affectu maximas gratias non agat, atq; habiturum se perpetuò non polliceatur. Vale Religionis columen, atque singulare ornamentum.

Amplitudini tuæ Illustriß. & Reuerendiß.

Deditißimus seruus

Hieronymus Discipulus Typografus.

DE LAVDIBVS

REVERENDI D. MARCELLI TOLOSAE THEATINI CONCIONATORIS PRÆSTANTISS.

Diuersorum Scriptorum Veronensium CARMINA.

ANDREAE CHIOCCI MEDICI, ET PHILOSOPHI ACADEMICI PHILARMONICI.

Elegidium.



VM canit, & dulci modulatur carmina plectro
Orpheus, inferni limina Ditis adit.
Pallentesq; vmbras, Hecatesq; Immania monstra
Illiciens varijs furua per antra sonis,
Euridicem abduxit: sed non quæsita labore
Coniugij longos condidit illa dies,
Tantum est ventosas populi depascier auras,
Terrenumq; humili spe reparare Decus,
At tu, cui solida virtutum Mente renident

Spectra, nec humano gloria more placet.
Vt primum eloquio soliti exarsere calores,
Creuit & ingenij viuida flamma tui,
Tunc animo Diuùm mensis affixus ouanti
Cœlestes fundis voce micante dapes,
Eumenidumq́; acies, atque insidiosa minantum
Agmina prædonum, Tartareumq́; canem.
Impiger ardenti verborum fulmine terres,
Cogis & obscura condere nocte caput,
Vt nec iam varias possint connectere fraudes,
Pectora nec viro contemerare suo.
Quin tu animas, dira vitiorum clade labantes,
Erigis, & vitæ pharmaca vera doces.
Pharmaca, cretæas haud inuenienda per oras,
Nec quà purpureum Sol vehit axe iubar,
Cœlitus illa hominum manant in pectora tantùm,
Quos iuuat ætherio flamine semper agi:
Non ita cum rapidum Phœbus deflectit in Austrũ
Verberat aduersum fortiter aura nemus,
Aut vbi sub terras hyemem Sol aureus egit,
Dissoluit gelidas per iuga celsa niues,
Torpentes hominum sensus vt verbera linguæ
Exagitant, miris excutiuntq́; modis;
At tibi flexanimæ præsertim gratia vocis,

Suadaq; Nestoreo gratior ore viget:
Quanto igitur, MARCELLE, ipso præstantior Orpheo
Maius ab exequijs nomen in astra feres?
Vix vnam ille animam rabidis è faucibus orci
Eripuit, stygio personuitq; lacu.
Tu, phlegethontæis longe disiunctus ab oris,
Innumeras animas sydera ad alta vocas.

EIVSDEM.

Πανδώρης καλὸν εἶδος ἐτεύξατο πῆμα βροτοῖσιν
(ὥς ποτ᾽ ἐβούλευσεν κρονίδης) κλυτὸς ἀμφιγυήεις·
ἣν παραδεξάμενος κόσμῳ πόρε πολλ᾽ ἐπιμηθεὺς
κήδεα, κὶ θανάτοιο ταχὺ προσῆσε κέλευθον,
κείνη γὰρ κρυεροῖο πίθου μέγα πῶμ᾽ ἀφελοῦσα,
Μυριάδας τε κακῶν, κὶ γυιοκόρων μελεδώνων
ἐπεῖρεν ἄτερ προτέρις μερόπων εὐδαίμονος αἶσυς.
Αὐτὰρ ὁ θεσπεσίων χαρίτων Μαρκέλλος ὕπερθεν
Ἔμμορος ἀρχαῖον γλώττῃ πίθον ἀμφεκάλυψεν,
Ἄλγεα τ᾽ ἀργαλέον τέ νόσων καταδῆσε φάλαγγας
(αι μένος εὐσεβίης, κὶ αγήνορα θύμον ἔδουσι)
Αὖθις ἐπειγόμενος γύαλον κύαθοιο κατελθεῖν,
Αἰθύσσης τε βροτῶν ζαθέῳ μόνος ἦτορα θάλπει
Αὐτὸς ἔχων ὑπατοις ψυχὴν δώροισι βρύουσαν.



VO' te, quòue tuas celebrabo carmine laudes,
Marcelle, Orator nil Cicerone minor?
At potius longe maior, quia ſacra profanis
Præſtant, atque pijs cedere ficta decet.
Diuini es decus eloquij, & noua gloria magnæ
Partenopes, generis ſplendor, honorq; tui.
Pectora namque hilaras dulci moderamine vocis:
Qua lenis, mulces, allicis, atque rapis.
Et rurſus, dum celſa feris laquearia templi;
Nunc ſtimulando agitas, nunc reprimendo tonas.
Affectus hominum varios diſcernis, & acer
Corripis inſanos, legitimosq; probas.
Actio corda mouens, quò vult impellit, & vrget;
Vt perſæpe pij fletibus ora rigent.
Nemo te melius ſacrata arcana recludit:
Nec te ſplendidius dogmata ſancta docet.
Laudibus extollit veræ virtutis honores;
Et vitia increpitans, arguis inde malos.
Concio tota tuis inhiat ſermonibus: ipſa
Pulpita lætantur; teque ſuperba tument.

Nam pia Relligio, & sapiens facundia sedes
Cum probitate, animo constituere tuo.
Macte igitur virtute, Pater, sic ibis ad astra.
Sic Lachesis fugies, Inuidiæq; manus.

ANTONII PASINI. ODE.



ER salue, Pater inclyte,
Almæ Parthenopes maxima gloria:
Tolosæq; domus nitor:
Diuini eloquij præco sonantior:
Quem nulla ambitio trahit,
Lucri aut turpis amor scandere pulpita
Propellit cupidum nimis.
Vt qui diuitias pro nihilo æstimes:
Sed quem Relligio pia,
Et veri studium, puraq; charitas
Ducit; quò parias Deo
Fructus eximios vocis amabilis.
Salue Euangelij tuba,
Clangis quæ astra super. dulcius altera
Te non auribus influit,
Tradens iussa Dei, sacraq; mystica.

Te nil candidius, cultius, altius
Sol ſpectans liquido cernit ab æthere,
Dum curru volat igneo.
Cultis hoc numeris vndique perſonant
Celſi templa poli tuum
Nomen: nec meritis æqua rependerint.
Nec, ſi ad nos redeat Maro,
Iuncto Mæonio grandiloquo ſibi,
Promet digna tuis carmina laudibus.

BARTHOLOMÆI TORTELLETTI.



CEANO in magno aurato ſub limine Olympi,
Ex quo deducit roſeas Aurora quadrigas,
Vltrà Indos, vltrà littus tellure repoſtum
Extrema, & primo rutilantem lumine arenam;
Eſt locus, & vaſto longe de gurgite ſurgens
Inſula, quam duri circum latera ardua montis,
Et nemorum obiectu, & furuis obſcura cauernis,
Tutantur fluctu à rapido, Polus aureus illi,
Illa Polo meta eſt, & ſydera vertice pulſat.
Hanc nec crediderim pictis tetigiſſe carinis,

Nec longinqua adeo tenuiſſe per æquora curſum,
Soluentes noſtro Heſperios de littore nautas.
Huc, poſtquã indignis cecidit cõpreſſus ab armis
Romani eloquij Princeps, auraſq; reliquit,
Sciſſa comam motrix animi facundia ſedem
Tranſtulit, & nulli tantos conceſſit honores.
Nunc vero, quando lachrymis, quando illa dolori
Impoſuit finem longo, quondamq; relicto
Iam tandem ſtatuit remeans ſe reddere mundo,
Ingenium mirata acre, & manantia ab ore
Mella tuo, vt primum prodiſti matris ab aluo,
Te te vnum elegit, te te vnum ſponte ſecuta eſt,
Suſceptura decus claro à ſplendore tuarum
Virtutum, ſtygios & frenatura furores.
Hinc te cæleſtis memorantem facta Parentis,
Et ſæpe in prauos minitantia verba mouentem
Miratur VERONA frequens, imiſq; mouetur
Viſceribus, largè & didicit ſuccurrere egenis,
Summè iter affectans nitidi ad penetralia Cœli.
At tua pro meritis auro diſtincta micanti
Facta nitent aſtris, dignaq; locabere ſede.
Iamq; omnes te fama canit, MARCELLE, per oras
Italiæ decus altum, & Thuſcæ gloria linguæ.

FEDERICI CERVTI.



FVDIT opes quondam dicendo
Græcia magnas,
Numina Suadelæ dū colit illa Deæ.
Fudit & ingētes Ciceronis copia fandi,
Dūq; reos seruat, publica dūq; iu-
Exoritur subito tunc controuersia, quisnam (uat.
Eloquij laudum præmia iure ferat.
Certamen dubium, dubia est quoque palma, disertos
Vndique dum populus mittit vterque viros.
Græcia pugnabat, Latium pugnabat & ipsum,
Ex voto iudex sede locatur HONOR.
Qui sic: primi Italis fandi debentur honores,
Cedere Romanis Græcia disce viris.
Et meritò: cognouit, quæ tria magna putantur,
MARCELLVM eloquio posse referre suo.
Demulcere aures, poterit quis flectere mentes,
Quisue docere queat dogmata sancta Dei?
Tu MARCELLVS eris, cuius facūdia Cœlum,
Atque Erebum miscet, dum tonat ore graui.
Tu scelerum facies, tu detestaris Auernum,
Tu profers nobis dona beata poli.
Vis dicam? superum præco descendat Olympo
Si PAVLLVS, docto dixerit ore tuo.

FRANCISCI POLAE I. C.




VO'D non te longo compellem carmine; quòd non
Laudis arem fidens æquora vasta tuæ,
Hoc faciunt, MARCELLE, tuæ pia flumina linguæ,
Mentis in angusto vase coacta meæ.
Me fortunatum, si eadem prorumpere possent;
Obruerer, fateor: sed mihi dulce foret.

IO. BAPTISTAE CISANI.

DONAT alma fides tibi, supremos
Orbes posse tua subire mente,
Trinum, vnūq; simul Deū videre,
Atque arcana tibi recludit alta,
Quæ mortalibus haud licet profari
Quin gustare tibi dedit supernum
Bonum, quò reliquis queas profundo
Ore pandere, deuiosq; ad astra
Reuocare hominum gradus malorum;
Hoc sperare bonum omnium bonorum
Spes diuina iubet tibi, tuisq;
Actis relligione, sanctitate


Plenis, integritate maximaq́;
Cordi conſpicuo, fideq́; pura;
Hæc vanas hominum, ſimul caducas
Spes monſtrat tibi, & vnicam in benigno
Spem, deſiderium Deo locare:
Ad hanc viribus omnibus ſacratis.
Concionibus incitas, & vrges
Mortales miſeros monens, inanes
Eſſe ſpes hominum, ſimul fugaces:
Verum quot charitas facit labores
Pro ſalute hominum ſubire, quotuè
Labores tolerare fronte læta,
Quotue Chriſto animas parare donat,
Tot parat Superum Pater Coronis
Exornare tuum caput beatum.



IO. ANTONII TVRCI MEDICI, Et Philosophi Academici Philarmonici.



ISCEDES ergo? Discedes, splendide Doctor?
Nosq; graui miseros, confectos atque dolore
Ingenti, cupidosq; tui (mirabile dictu)
Verbi de verbo excelso, vir magne, repentè
Deseris? ingenium cuius miramur, & altum
Dicendi genus, vt pote qui, celeberrime, nosti
Quicquid habet cœlum, tellus, & pontus, & aer:
Tàm citò tu nobis hunc eripis, inclyta Roma?
I decus Ausoniæ, expectat te Vrbs, gloria Mundi,
Vesteq; purpurea induet, id Verona peroptat,
Quæ te luminibus charis, & pectore gestat.





IDERAT Empyrea cœli moderator ab arce,
Tartareis ſpecubus ſupera ad conuexa volantem
Monſtrorum immanem triſti terrore cateruam,
Quæ ſuper Aethereas rabido correpta furore
Auras errabat, miſcebatque omnia circum
Murmure terribili, extremam mortalibus ægris
Perniciem intentans, quò noſtri tactus amore
Summus ab aſtrigera Rex mittit ſede Toloſam;
Inſignem pietate, ſpei qui caſſide fulgens,
Iuſtitiæ & ſanctæ thoraca indutus ahenum,
Candentis fidei clypeo contectus, acuto
Diuini verbi mucrone armatus in iſtos
Dæmonas audentes audentior irruit ipſe:
Fulmineum gladium dum vibrat, dum intonat ore
Infrendent laruæ, & magno perculſa timore
Diffugiunt monſtra, atque alta tellure recondunt
Extemplò capita, & cæco clauduntur Auerno.

IOSEPHI PORTAE.



VM videt, innumeros te collaudare Poëtas,
Cynthius, & vocis tollere ad astra decus;
Risit, & ò quantum docti falluntur amici,
Si tua carminibus gesta referre putent:
Omni etenim laude es maior, quem dote superna
Exornant Tryadis numina sancta simul.
Nullius hanc poterit facundia tollere linguæ,
MARCELLE, aut certè vox tua sola potest.
Sic ait, atque tuas memori iubet abdere mente
Mnemosynem laudes, quam siluisse iuuat.

NICOLAI CALVI CHIOCCI.

D*VM legem CHRISTI; dum sancta oracula Patrum*
Pandens vi multa crimina nostra premis,
Vtq; piam in normam mores componere possis
Nostros clamandi nulla tibi requies.

Pectore dum toto tandem contendis in illud,
Vt fructus reddat vinea culta suos,
Quid mirum? auditum si te matresq́; , viriq́;
Undiq́; conueniunt, nam tibi numen adest.

SYLVANO COCCONIO POLITIANO I. V. D.

ORLANDVS PESCETTVS.



ARRO tibi, inuidia dulci, Syluane, laboro,
(Si tamen inuidiam verus amor recipit)
Inuideo tibi, quod dulci sermone potiris
Illius, nemo quo melius loquitur;
Quòd grato frueris vultu, dulciq́; TOLOSAE
Conuictu, quo nil dulcius esse potest:
Sic tamen inuideo, proprium tibi, perpetuumq́;
Istud vt esse optem, perpetuoq́; precer.
Interea hos versus, quos magno impulsus amore
Nocte hac feci, illi nomine redde meo.
Sique licet, reddendum inter, reuerenter adora,
Et pronus palmis oscula fige sacris.
Hoc, quæso, reliquis, lepidissime amice, quibus me
Ornasti, meritis, adde, diuq́; Vale.

ORLANDI PESCETTI.



OMA, ſile, doctæ & vos iam
taceatis Athenæ,
Iactare Alciden deſine, Galle,
tuum:
Nam quæ Graiugenum poſſedit
maximus ore,
Quæque nitens Cicero, ac Amphitrione ſatus,
Omnia, MARCELLVS, longe violentior illo,
Qui Siculos, dirum vicit & Annibalem,
Poſſidet: Argolicus quæ quondam egiſſe Pericles
Narratur, miris efficit iſte modis.
Fulmina, non voces iaculatur ab ore, animoſque
Huc, illuc verſat, præcipiteſque rapit.
Quis grauius ſcelera exagitat? quis fortius hoſtes
Inſequitur CHRISTI, ſæuaque corda domat?
Ad bene viuendum, ſeruandaque iuſſa Parentis
Aeterni quis nos acrius extimulat?
Nunc timet auditor, pallet, totuſque tremiſcit,
Nunc ſperat, vultus exhilaratque ſuos.
Non rarò lacrimas, crebrò ſuſpiria mittit;
Pœnitet, & pugnis pectus, & ora ferit:
Culparum veniam expoſcit, mundumque peroſus,

Spernit opes, cunctas deliciasq; iacit.
Articulos mulier gemmis, & colla catenis
Exonerat, loculos euacuatque viri.
Hinc ditatur inops, longa & ieiunia pascit,
Extinguitque sitim, nudaq; membra tegit.
O felix, tantum cui summi Rector Olympi
Posse dedit, cuius spiritus ora mouet.
Tu potes horrendis animas è faucibus Orci
Eripere, & summo conciliare IOVI.
Tu potes ardentes iuuenum compescere motus,
Ex animisque senum pellere auaritiam.
Ipsa pudicitiam per te iam scorta resumunt;
Et mulier mundum despicit ipsa suum.
O' tibi Nestoreos det cœli Conditor annos
Vt multas animas mittere in astra queas;
Quam primum vt sedes illæ repleantur, opacum
Vnde superborum Dux ruit in barathrum.

Eiusdem.

Mercurium veteres dixerunt iussa per auras
Ferre Deùm, & dictis ducere posse feras.
Ista tibi quadrat, verè de te ista, TOLOSA,
Fabula narratur: tu Deus eloquij:
Tu veri Iouis interpres, mortalibus ægris

Tu tibi quæ mandat, voce tonante refers.
Tollite, mortales, ad ſidera, tollite vultus,
(Ore tonas) Dominus ſic iubet aſtra mouens.
Spernite diuitias, fumoſos ſpernite honores;
Nos nihil iſta iuuant, prætereuntq; cito.
Cur cum celeſtes ſimus, mortalia tantum
Sectamur? patriæ nec meminiſſe iuuat?

Eiuſdem.

QVIS, diuine, tuis, MARCELLE, reſiſtere dictis?
Quiſue poteſt tonitrus ſuſtinuiſſe tuos?
Cedimus en victi, tibi nos en dedimus; I præ
Te ad cœlum ſequimur ſubdita turba Ducem.

Aliud.

QVOD Veronæ inopes tam triſti tēpore viuunt,
Cum multi in reliquis vrbibus intereant:
Quòd Veronenſes tranquilla pace fruuntur,
Cum reliquos perdat ſeditio populos.
Quòd iuuenis caſtus, ſeniorq; eſt dapſilis, vni
Acceptum referunt, Magne TOLOSA, tibi.

POLYCARPI PALERMI I. V. D.

Et Academici Philarmonici.



O' *Me felicē, veræ Pietatis in hortos*
Dum rapis errantes animas, lymphasque salubres,
MARCELLE, ostendis doctæ dulcedine linguæ,
Si veluti in pratis, primo cum lumine cœlum
Mane rubet, circumq; rosas, circumq; hyacinthos
Sedula Apis legerem cœlesti è rore liquorem,
Unde animæ (ah nimium) præberem pabula egenæ:
Credo equidem Ambrosiam dulcem, nectarq; Deorū
Gustarem, & magni fierem nouus accola Cœli
In terris, purumque Agnum, pictasque cohortes
Aligerūm adspicerem, sanctosq; ex ordines Patres.
Nam tibi facundo diuinus cum effluit ore
Imber, & assiduè campos humectat inertes,
Tùm steriles fructu æthereo (mirabile dictu)
Implentur fibræ, præcordiaque humida patrem
Diuorum excipiunt, sensimq; animantur in ipsum.
O' fructus nimium optandos, qui palmite pendent
Humenti, ò dulces fructus, ò dulcia poma,
Qualia secessu Paradisi clausus in alto

Vidit Adã numquã Genitor, quæ sancta ministrãt
Fercula, sufficiuntque animæ pia robora semper,
Vt vitia affecto eijciat de pectore, & intus
Pullulet æternũm mansuro stipite virtus.
Sed me, (proh miserum) lethæo gurgite mersum
Impius, oblitumque mei tenet hostis, vt alto
Vix caput attollens Cœlo cunabula prima
Mente vaga repetam generis, communia cunctis.
Nam simul ac animum supera ad conuexa reuoluo,
Et mecum internis oculis opera ardua lustro
Immensi rerum Genitoris, vbi ipsa resedit
Mens secũ Aeterni memorans mysteria VERBI,
Et stupet ignotas Superũm spatiata per oras,
Tùm variæ illudunt species, Erebique phalanges
Innumeræ è stygijs coniurant sedibus in me,
Et miserum affectu turbant, tum dira libido
Exagitat, ventris penitus tum segregat alto
Pondus iners, tentatque animam qua deuoret arte.
Nephtalico qualis Iuueni, cum iussa Parentis
Arriperet, Gabelo referens sua syngrapha, longè
Medorum in Ragem, vt peteret bis quina talenta,
Jamque suis, comite Aligero, secesserat oris,
Ingens assiluit medio de Tigride piscis,
Et iam iamque vorans magno pandebat hiatu

Ora ferox, trepidum aggressus, ripæq; propinquans,
Talis dira cohors in me consurgit, & usq;
Imminet, ut pauidum rapiat, mersetq; barathro.
Quare, age, me instāti, bone Dux pcor, exime letho,
Fer, magne, auxilium, & rebus succurre cadentis,
Namq; potes, retro ut tandem confusa facessant
Agmina Cocyti, & pereant, ceu piscis in acta.
Eloquio insignis, nec te blandissima Siren
Nequidquam emisit die iam lucis in auras
Partenope, & puerum reptantem sustulit vlnis,
(Antiqua est eadem nostræ quoq; gentis origo)
Quin magis æthereis delapsum te orbibus ipse
Esse reor pennata aliquem de gente ministrum
Iussa Dei lento pandentem ingentia mundo;
Nam te hominem suprà extollis sermone, docesque,
Nil mortale sonans, cælestia dogmata ritu
Cælesti, & roseo faciem splendore coruscus,
Tu tacite humanis irrepis cordibus vnus,
Affectusque vides prauos, reprimisq;, fugasq;,
Tu vinctas soluisq; animas, & subtrahis Orco
Arte noua, Cæloq; elisos erigis alto:
Italiæ columen, quo sospite plurima surgit
Relligio, & veteres abeunt de pectore curæ,
Inferni domitor, celsi reserator Olympi,

Tu rapis inuitos homines, tu surripis ipsis
Mentem, atque ignaros Cæli statione reponis.
Non aliter ferrum tacitè Magnesia cautes
Attrahit, atque sibi innata virtute reuincit
Inuitum; en ergo attrahimur, Cæloque volamus,
Affectu en corda exuimus, sequimurque trahentem.
Ipse quoq; abiectis spolijs Acherontis auari
Spero equidē, & credo, vt quondā tua iussa secutus
Supplicia æterna effugiam, merearq; salutem.
Tu tamen interea nostri non immemor vnqua,
Funde preces, nobisque Deum, Pater optime, placa,
Horum etenim miseri (credas) magis omiū egemus,
Quam tua Apollineæ virtus sanctissima laudis.

RAPHAELIS ANGELI
In Explicationem Euangelij Lazari mortui.



ON te, sed Christum flentem spectare videbar,
Dum Lazari in vitam mortua membra vocat;
Cunctorum in lacrymas conuertis lumina, cunctos,
Maxima noscentes crimina flere facis;
Non homines posset, diras sed flectere Tigres

Eloquium, Pietas, Relligioque tuæ,
Tu lucem cæcis præbes, errantibus astra
Monstras, quouè poli tramite regna petant.
Quæ tibi iam patuere fores, reliquisq; patebunt,
Dum diuina tua iussa sequentur ope.

Eiusdem.

VERONA, ET PIETAS, DIALOGVS.

V. 
ATA Patris summi, superis carissima turbis,
Quæ rectam pandis sydera ad alta viam.
Te lacrymas mouisse meas, sæuosq. dolores
Vidi, nec fusas te renuisse preces.
Ad me misisti, quem caros inter alumnos,
Dilectosq. tuos connumerare scio;
Cui celsos penetrare polos, arcanaq. summa
Scire, simul reliquis pandere posse finis.
Qui sancto eloquio, sancta probitate corusco,
Quò vult impellit ferrea corda virum.
Heu miseri nati recto de tramite cœli.

Errabant, & spes parua salutis erat.
Egressæ Furiæ barathro, cæcisq. cauernis
Quærebant illos perdere mille modis.
Dum nimio hic fastu, nimiaq. cupidine honoris
Impulsus, solus nobilis esse cupit;
Compressit rabiem tantam, mentemq. repressit
Elatam, atq. humilem reddidit ore pio.
Alter auaritiæ stimulis agitatus iniquis
Iam nihili Ditis munera larga facit.
Alter damnato Veneris captatus amore
Cælicolum Regem diligit ex animo.
Ast alij inuidia detenti, aliena sequentes
Exoptant cunctis nunc bona summa poli.
Quærebant alij ventri gratissima dona,
Qui modici varias delitias renuunt.
Nolebant alij hostiles deponere rixas,
Qui modò condonnant iurgia fronte bona.
Ocia sectantes alij turpissima vitæ,
Adiunxere sacris pectora muneribus.
Tantum sacra potest sacri facundia Alumni
Alma tui Pietas, & sine labe fides.
Quæ ex animis prauas potuit conuellere stirpes,
Atq. bonas plantas cordibus inserere.
Iam fructus gratos referent syluestria corda,

Omnibus inuersis dulcia amara ferent.
Iam superum Rector cœli de vertice rorem
Demittens nobis cœlica dona dabit.
O Pietas, requies nostrorum optata laborum,
O clades nostras commiserata malas;
Iam quicunque tibi se se debere fatetur,
Quæ nobis Patrem concilias superùm.
Ad nos quæ tantũ dignata es mittere Alumnum,
Cuius defixum pectore nomen erit.
P.O Verona tuos natos fecisse iuuabit,
Quæ meus hic iussit carus Alumnus eis.
Nam tandem poterunt cælestia scandere regna,
Atq. frui secum cuncti potente Deo.
V. Squammosi citius pisces vaga flumina linquẽt,
Ex animis nostris quam pia iussa fluant.
Et quæ præcepit semper fecisse iuuabit,
Nam quæ præcepit, præcipit ipse Deus.
Ipse prius fecit, nobisq. exempla reliquit,
Spreuit opes orbis, respuit omne decus:
Discipulus bonus ipse sui præcepta Magistri,
Suscipiens fœlix regna beata petet.
O Pietas cunctos facias euadere Christi
Discipulos, necnon pectora cæca regas.
Multa tuus sermone pio perfecit Alumnus,

Tu firmes animos, erige, cum recidunt.
Nam Duce te secum superas veniemus ad oras,
Et nobis tribuet gaudia summa Deus.

TARQVINII MORANDI SIRENAE.



RPHEVS vt quondam, toto notissimus orbe,
Voce perarguta, dulcisonaq; lyra
Cædibus abduxit gentes, victuq; ferino;
Et traxit plantas, flumina, saxa, feras.
Sic tu, diuina dicendi præditus arte,
Dùm solio ex alto dogmata sancta doces,
Mentes inflectis nostras, & frigida corda
Flammata accendis voce, TOLOSA, tua:
Iàm, te orante, redit pax aurea: iamq; recedit
Lucri, & damnosæ cæcus amor Veneris;
Temporibus miseris, rerum vt succurrere egenis
Possimus, nostro pectore cura subest;
Inclyta iàm virtus fulget; moresq; probati;
Augetur Christi denique Relligio.
Ah tibi ne libeat nostris discedere ab oris,
Pendere vt liceat semper ab ore tuo.

VALERII PALERMI
Academici Philarmonici.



ONIS quidem quamplurimis,
Magnis, honestis, splendidis,
Creator, & rector omnium,
Nos, patriumque solum ornauit, ditauit, & auxit.

Nullum tamen præstantius
Putamus hoc, quòd Luminis
Cum lux supremi innotuit
Mundo, & collustrãs animos, patefecit Olympũ.

Hanc ad sui cultum illico
Vrbem vocauit, & duces
Sanctos dedit longo ordine,
Qui populo, vt stellæ, vitæ fulgore præirent.

Quos inter, vt cuncti asserunt,
(Et iure prorsus asserunt.)
Palmam meret non vltimam,
Sanguine tã clarus, quam pectore, & ora Tolosa.

Hic quippe missus cœlitus,
Quò vi sacræ facundiæ
Scelerum vepres reuelleret,
Insereretque animis virtutum semina nostris.

Id præstitit tam sedulo,

Sudando mane, & vesperi:
Sublimi, & ex æquo loco,
Hinc doctrinæ acie, diuinis moribus inde.
Vt obstinatos fregerit,
Vt roborarit debiles,
Vt inuitos represserit,
Et desperatis visus sit reddere vitam.
Famisque diro hoc tempore,
(Mirum) beata pabula
Dum ferret altis mentibus,
Tum miseris vacui ieiunia ventris ademit.
Quare loco iam numinis
TOLOSA habetur omnibus,
Vnumque votis expetit
Verona, vt liceat secũ retinere TOLOSAM.
Quod si secus decreuerint,
Rerum qui habentis præsident;
At mente nostra haud effluet;
Dum memores erimus nostri, dũ vita manebit.

Eiusdem.

Finissent laudes hic carmina nostra TOLOSAE,
Si finem virtus nosset habere viri.

SYLVANO COCCONIO POLITIANO I. V. D.



ON ita frondosa queritur Philomela sub umbra,
Halcionesq; udo littore triste gemunt,
Ut mea nunc tanti discessu mœsta PARENTIS
VERONA assiduis imbribus ora rigat:
Quare vel causas tantillum innecte morandi,
SYLVANE, aut miserã, qua potes, arte leua.
Ille tibi arcanos solitus committere sensus,
Tu blando eloquio flectere corda viri.

B. C.

ORLANDI PESCETTI. DISTICON.

CVR tã multa canã de te, Pater optime, quæris?
In promptu caussa est: multa canenda facis.